

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-272203-p0002-1

DFG

188

Q. D. B. V.
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
PECVNIA
A PVPILLO SINE TVTORIS
AVCTORITATE SOLVTA
DAMNO CREDITORIS
PEREVNTE

1748
56

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO FRIDERICO
KRAVSIO
IVR. VTR. DOCT.
IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
AUDITORIO IVRIDICO
D. XXII. MARTII A. R. G. CIO ID CC XLVIII.
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT
GOTTHELF FRIDERICVS KRAVS
FREIBERG.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

221

UDEN
THEROQUA IN DICO
SC

A I N C E P T
S I T O R U T H I Z S I C H A
A T A V S B O S A T A
S I T O R U T H I Z S I C H A
I R E A V T A

S C I P I O N E
O C I R C U L U M C O N F O N D A

O C I R C U L U M C O N F O N D A
P I C I T R A T I S T I V A S A P E G A M I
C O N F O N D A C I R C U L U M C O N F O N D A
P I C I T R A T I S T I V A S A P E G A M I
C O N F O N D A C I R C U L U M C O N F O N D A

S A V A T A C O N F O N D A C I R C U L U M C O N F O N D A

C O N F O N D A C I R C U L U M C O N F O N D A
P I C I T R A T I S T I V A S A P E G A M I



189.

Q. D. B. V.

§. I.

Quanto publicae rei magis interest, vt iis in- Cogitatione
primis bene sit, in quibus spes futuri tem- publicae utili-
poris alitur, et expectatio patriae continetur: tatis omnes
tanto maiore cum circumspectione minori- fere gentes pu-
bus est caendum, quos fati festinatio paren- pillis prospic-
tum sollicitudine, cui ab ipsa natura commen- ciunt.



istam aetatem, cuius, vt **VLPIANVS** ^{a)} loquitur, fragile
et infirmum consilium multis suppositum captionibus, mul-
tisque insidiis expositum esse solet, quid detrimenti capi-
ant, vnde ipsa respublica per latus affligi queat. Quam-
uis enim cura minorum, siquidem a fronte tantum rem
consideremus, non tam ad publicae rei administrationem,
quam ad conseruationem potius rei priuatae ac familiaris
pertinere videatur, vt etiam **MODESTINV** ^{b)}, tutelam
reipublicae munus esse, diserte neget: illa tamen oblique ^{c)}
publi-

A 2

a) L. I. pr. D. de minor. XXV. ann.

c) IAC. CVIACII comment. ad all.
1. 6.

b) L. 6. §. 15. D. de excusation.

publicam vtilitatem adeo tangit, vt eius negligentia et dignitati publicae rei officiatur, et huius saluti facile noce-
ri possit. Hinc est, cur PAVLLVS aliquando ^{d)} ea, qui-
bus infirmae aetati prouidetur, ad honorem ciuitatis per-
tinere iudicauerit. Imo vero, cum expeditat reipublicae,
ne quis re sua male vtatur; quod IVSTINIANVS obser-
uat ^{e)}: procul dubio etiam ex istius re fore credendum e-
rit, quo sollicite caueatur, ne fortassis illi, qui sibi satis
prouidere nondum didicerunt, aut animi leuirate, aut im-
proborum malitia, fortunis suis temere spolientur. Et
haec quidem communis vtilitatis cogitatio effecit, vt, cum
vix villa tam inulta atque barbara, officiique erga suam
societatem tam parum memor inueniatur gens, quae cu-
ra minorum prorsus neglecta, hos omni destitutos ope,
fraudibus ac iniuriis malorum reliquisset: tum ii potissimum
populi, quos excitator humanitatis sensus ad ciui-
lem prudentiam diligentius colendam impulit, quoquis stu-
dio tenerae aetatis infirmitati, rebus minorum publicae
magistratum sollicitudini et tutelae quam sanctissime com-
mendatis, consulere laborant. Qua de re abunde iuri-
um diuersarum gentium historiae testantur; Et quanta
praesertim Hebraei Athenienses, Lacedaemonii, Roma-
ni, nec non maiores nostri, Germani, (quorum erga pu-
pillos studia cum ipsa publicae rei cultura magis creuer-
runt,) cura iis prospexerint, erudite, vt solebat, expo-
suit, de Iurisprudentia immortaliter meritus, atque post
fata desideratissimus HEINECCIVS ^{f)}; cuius tamen scri-
nia iam expilare animus non est.

§. II.

^{d)} L. 122. pr. D. de legat. I.^{e)} §. 2. I. de his qui sui vel alien.
iur. sunt.^{f)} in diss. de Suprema principum
magistratumque tutela.

§. II.

Quod vero ad Romanos maxime attinet, quorum iuria, sicut in aliis plerisque, ita in iis etiam, quibus pupillis cautum est, partibus, in domestici juris supplémentum adoptauimus^{g)}, vel dupondii haut ignorant, hoc iure tutelam inter munera, quae lege aut magistratu iubente, communis utilitatis causa, a ciuibus obeunda sunt, numerari^{b)}. Neque tamen satis suo officio sibi defuncti viisi sunt Quirites, si personam ac res impuberis qualicunque tutoris cuiusdam fidei honestatique commendassent, verum etiam, ne is, vel ipsius custodis sui, aut malitia, aut desidia, damnum pateretur, vel aliunde quicquam isti facile metuendum eset, quam liberalissime prospexerunt, ut, quemadmodum SEVERVS aliquando Cuspio Rufino rescriptis, ⁱ⁾ omnibus liqueret, se omnem adhibere rationem subueniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat. Evidem nolo iam in exemplis insignis eius sollertiae, qua Leges Romanae tutorem ipsum ad bonam fidem, diligentiamque exactam in administranda re pupillari adstringunt, recensendis longus esse, nedum illorum integrum contexere catalogum; Hoc saltem monere attinet, leges nostras, quo minus in re sua familiari facile circumscribantur pupilli, in cunctis, quae his fraudi esse possent, ^{k)} negotiis, auctoritate tutoris, ^{l)} imo quandoque, si grauitae causae illud poscat, iudicis consensu atque decreto, rem

A 3 per

g) STRYKII VI. Pand. mod. L.
XXVI. tit. I. §. I.

b) pr. I. de excus. tutor. add. L.
214. D. de V. S. L. 17. §. 4. 5.

D. de excusat. tutor. WIELING
lection. iur. ciu. L. II. c. 15.

ⁱⁱ⁾ L. 2. §. 2. D. qui pet. tutor.

k) pr. I. de auctor. tutor. L. 28. pr.
D. de pactis.

l) quid apud Romanos sit auctoritas tutoris, erudit expositum est in GUNDLINGIANIS P. XXIX.
art. VI.

Pupillus nostro iure sine tutoris auctoritate nihil alienare, ideoque nec solvere potest.

perficiendam duxisse. Quia de causa iuris nostri architecti constituerunt, ut impubes non, nisi tute rem approbante, quicquam alienare, ^{m)} imo, quod MARCIANVS monet, ⁿ⁾ ne possessionem quidem valide in alium transferre possit. Vnde porro conseqens est, vt is solus cum effectu neque vendere, neque permutare, neque rem pignori dare, neque mutuam alteri pecuniam credere, neque debitorem suum ab obligatione liberare, quin imo ne creditor i quidem suo recte soluere queat. ^{o)} In his enim omnibus aliqua continetur alienatio. ^{p)} Subsistamus in solutione a pupillo facta, de qua GAIUS ^{q)} conceptis verbis nos docet, quod pupillus ex omnibus causis soluendo sine tutoris auctoritate nihil agat, quia nullum dominium transferre possit. Quam etiam sententiam probat VLPIANVS ^{r)} qui pupillum sine tutoris auctoritate soluere posse, et, si dederit nummos, hos accipientis fieri, diserte negat. Igitur, cum nummi hac ratione accipientis non fiant, eorum dominium penes pupillum manet, qui ea propter nummos extantes vindicare potest, ^{s)} ne incauta soluendi facilitate defensiones contra iniquam forte creditoris petitionem, perimantur. Consumptis tamen nummis pupillum liberatum esse, GAIUS atque VLPIANVS, ^{t)} nec non IVLIANVS, ^{u)} obseruant.

§. III.

An pupillas sentiat periculum pecuniae, **E**nimuero, quod in saluberrimis herbis euenire solet, vt perperam applicatae, plus quandoque noceant, quam profint:

^{m)} L. 9. pr. §. 1. 2. D. de auctor. tutor.

ⁿ⁾ L. 11. D. de adquir. rer. domin.

^{o)} §. ult. I. quibus alien. lic. vel non.

^{p)} L. 7. C. de reb. alien. non ali-
enand.

^{q)} antea all. L. 9. §. 2. D. de auctor.
tutor.

^{r)} L. 14. §. 8. D. de solution.

^{s)} arg. L. 11. §. 2. D. de rebus cred.

^{t)} in Leg. h. §. all. 14. D. de solution.

^{u)} L. 19. §. 1. D. de rebus cred.

*) o (*

191.


prosint: idem illud in hac quoque, solo pupilli fauore, artificiose satis inuenta cautione contingit, siquidem alienationi, et, quae eius species est, solutioni, ab impubere sine tutor, creditori soluta? in utramque partem disputatione?

contra mentem cauentium relinquere velimus. Faciamus enim, pupillum quandam, inscio tute, creditori suo centum ex mutuo forte debita exsoluere. Sed porro singamus, haec centum penes creditorem, nulla concurrente culpa, veluti direptione latronum, aut incendio fortuito perire. Vter periculum rei sentiet? Num pupillum liberatum dicemus; an vero creditori, nouam urgenti solutionem fauebimus? Istius causam aequitas manifesta, nec non ratio singularis iuris sui commendat: At hunc ex aduersa parte analogia iuris communis adiuuare videatur, cum ordinarie res quaelibet damno domini sui pereat^{v)}, nisi regula aliquando per claram exceptionem suum perdat officium. Quae diuersa propositae speciei aestimandae ratio, cum in schola iam Irneriana, tum inter ICtos quoque sequioris aevi diuersas opiniones peperit, et adeo multorum, ex celeberrimis interpretum, torsit ingenia, vt isti contra monitum HERENNII MODESTINI^{x)}, ea, quae salubriter pro utilitate hominum introducera fuerant, duriore interpretatione, contra ipsorum commodum produxerint ad seueritatem; ut, inquam, contra pupillum in nostra, similibusue speciebus, litem dare, haut dubitauerint.

§. IV.

Horum agmen dicit AZO BONONIENSIS, ex Ioannis Cremonensis auditoribus celeberrimus, qui, seculo XII. cursus autem

v) L. 6. et 9. C. de pignerat. a. x) L. 25. D. de Legibus. cition.



negat; quem
multi sequuntur
sunt.

XII. doctrina scriptisque suis famam scientiae iuris civilis ^{x)}
tantam assecutus est, ut etiam Bononiae docens, decem milia
auditorum attraxisse dicatur, ^{z)} et a BALDO PERVSI-
NO ^{a)} vas lectionis, et fons legum laudetur, eius denique
compendium iuris civilis, quod *summa* inscribitur, ita
communem commeruerit calculum, ut absque illo foren-
sia negotia feliciter tractari posse, a plerisque fere omnibus
negaretur. ^{b)} Sed FRANCISCVS ACCVRSIUS, qui ex
Azonis prodit auditorio, ^{c)} circa finem Seculi XII. et initi-
um Seculi XIII. clarus, tametsi praecepta, quae ab magistro
suo didicerat in aliis plerisque seruare, eaque ab aduersariis
saepe intemperantius, quam par erat, defendere, con-
fueuerit, ^{d)} in nostra tamen quaestione, spreta praceptoris
auctoritate, pro pupillo sensit. ^{e)} Cuius opinio postmo-
do interpretum plerorumque assensum tanto facilius im-
petravit, quanto maior esse coepit glossae veneratio. ^{f)} De
hoc enim satis testabuntur, si vasta volumina euoluere non
piget, BARTOLI DE SAXOFERRATO, PAVLLI CA-
STRENSIS, IASONIS MAYNI, ALEXANDRI IMO-
LENSIS, atque centum aliorum verbosa commenta-
ria; ^{g)} quibuscum MYNSINGERVM, ^{b)} VINNIVM, ⁱ⁾
LAVTERBACHIVM, ^{k)} BERGERVM ^{l)} et complures
alios, qui ex recentioribus hoc argumentum attige-
runt,

^{x)} vid. GVIDO PANCIROLLVS de
clar. leg. interpr. L. II. c. 25.

^{z)} BRVNQVELL Hist. iur. P. III. m.
2. c. 3. §. 19.

^{a)} ad L. contractu 17. C. de fide
instrumentorum.

^{b)} PANCIROLLVS loc. cit.

^{c)} idem L. II. c. 29. add. Grauinæ
orig. iur. p. 183.

^{d)} BALDV ad L. 7. C. de praeser.
30. vel 40. annor.

^{e)} in Glossa ad L. 19. §. 1. D. de re-

bus creditis.

^{f)} BRVNQVELL Hist. iur. P. III.
m. 2. c. 5. §. 6.

^{g)} ad all. L. 19. si cert. pet. de reb.
cred.

^{h)} ad §. vlt. I. quibus alienare licet
vel non.

ⁱ⁾ ad eundem Opnum Instit.

^{k)} in differt. de solutionibus; quae
extat in differt. Tübinger
Vol. III. diff. 21.

^{l)} in resolution. Leg. obſt. p. 695.

* * * *

192

runt, (illud enim hactenus ex instituto tractatum esse non recordor) consentientes deprehendo.

§. V.

Nihilominus tamen post Accursii tempora multos ad Ex his, qui A-
huc retinuit patronos aduersa sententia. Imo eandem zonis senten-
Seculo XV. cateruatim defenderunt aduocati Florentini in tiam defende-
facto nostrae speciei non plane absimili, quo minor aut re conati sunt,
mulier ad pretium equi, absque consensu aliquot consan- aliqui nomi-
guineorum, (qui secundum iura loci necessarius erat) ven- nantur.
diti et traditi, sed paucis diebus post mortui, consequen-
tum, contra emporem item intenderat; Et contra mino-
rem iudicatum fuisse, nisi **LUDOVICVS PONTANVS DE**
ROMA, vir magni ingenii atque doctrinae, cuius laudes
commemorauit **AENEAS SYLVIUS**, ^{m)} suo consilio et au-
ctoritate effecisset, vt in specie proposita, quamuis vendi-
tio illa, contra leges facta, perfecta haut fuisse, damnum
emotoris esse pronunciaretur. ⁿ⁾ Inprimis quoque nomi-
nandus est **PHILIPPVS DECIVS**, circa finem Seculi XV.
et initium Seculi XVI. variis in academis multa cum ce-
lebritate iura professus, ^{o)} qui, derelicta glossae auctorita-
te, in nostro casu, ideo potissimum, quod res suo domino
perit, atque is, qui commodo dominii gaudet, incommo-
dum cum eo connexum repudiare non debet, sensum pe-
riculi ad pupillum retulit. ^{p)} Cuius in sententiam se pedi-
bus ire conceptis quidem verbis fatetur **ANDREAS AL-**
CIATVS, ^{q)} in quo **GRAVINA** haut immerito laudat, quod

B is

^{m)} in gestis concilii Basili. vid. **FICH-**
ARDI vit. ICtor. recent. sub vo-
ce: Romanus.

ⁿ⁾ **JASON MAYNVS** ad **L. 19. §. 1.**
D. si certum petatur.

^{o)} **PANCIROLLS** de claris leg. in-
terpret. **L. II. c. 135.**

^{p)} in comment. ad **L. 19. §. 1. D.** si
cert. petatur.

^{q)} in comment. ad eand. **L. 19.**



is manu sua iurisprudentiam ex humo sustulerit: ^{r)} Tantum tamen abest, ut Alciatus vere, damnum, pecuniae solutae contingens, pupillo imponi debere, crediderit: vt potius illas sâtem rationes, ex quibus plerique sententiam Accursii defendere solebant, impugnandas esse existimauerit. Nec silentio praetereundus est HVGO DONELLVS, οὐγένεος Iacobo Cuiacio, scriptis et doctrinae et elegantiae dote commendabilibus illustris, qui in specie nostra, teste VINNIO, ^{s)} cum Azone sentit. Attamen Donelli commentarium ad tit. Dig. de rebus creditis, ^{t)} in quo sine dubio istam controuersiam tractauit, (in reliquis enim iuris ciuilis commentariis eius nihil inuenire potui) euoluere non licuit.

§. VI.

Aequitas legalis postulat, vt in nostra specie periculum pecuniae solutae ad creditorum referimus. **I**n hoc Iureconsultorum dissidio, dum delibero, vtrius partis sententia sequenda sit, in mentem venit, quod aliquando CELSVS ^{u)} in alia quadam controuersia, cum etiam iuris apices cum aequitate pugnare viderentur, monuit: esse hanc quaestionem de bono et aequo, in quo generere plerumque sub auctoritate iuris scientiae perniciose erretur. Ut enim in specie proposita pupillo faueamus, et pecuniam periculo creditoris solutam esse dicamus, manifesta aequitas postulat, non cerebrina, sed quae cum mente legum, pupillis cauentium, accurate conuenit, quam idem CELSVS, qui ipsum ius nostrum per artem boni et aequi definit ^{v)}, et PAVLLVS ^{w)}, imo IMPERATORES quoque

^{r)} Origin. Iur. p. 206.

^{s)} in Comment. ad §. vlt. I. quibus alienar. lic.

^{t)} qui editus est Antverp. 1582. et Francofurt. 1626.

^{u)} quem excitat PAVLLVS in L. 91.
§. 3. D. de verbis obligat.

^{v)} L. 18. D. de Legibus. L. 1. pr. D. de iustitia et iure.

^{w)} L. 90. L. 168. D. de reg. iur.

quoque ^{z)} tanto diligentius commendant, quanto magis ius summum, nullo aequitatis temperamento emollitum, summa foret iniuria.^{a)} Num enim sine nota maximaie iniqutatis concedi poterit, vt pupillus ob minorem aetatem damnum aliquod patiatur, quod, si maior fuisset, ad ipsum haut pertinuisse? Certe architectorum iuris nostri haec mens non fuit, qui omnia, quae pro pupillo singulariter constituerunt, nullo alio fine, nisi vt illi caueretur, introduxerunt. Inprimis autem, quod supra obseruauimus, fauore tenerae aetatis est receptum, ne nummi, a solo pupillo soluti, statim accipientis fiant, quo vindicari, nec exceptiones contra petitionem creditoris forte perire possint. At praecclare monent IMPERATORES^{b)}, ne illud, quod fauore quorundam est constitutum, quibusdam casibus ad laesionem eorum inuentum videatur. Imo, quod speciatim ad pupillos atque reliquos minores attinet, dñe ferte praecepit GORDIANVS^{c)}, vt illis aetas in damnis quidem subuenire, non autem in rebus prospere gestis obesse debeat.

§. VII.

Neque vero hac ratione pupillo cum creditoris iniuria Nullam hoc
fauere videbimus. Huic enim illud saltē imponimus damnum, quod, tametsi a maiore nummi soluti fuissent, aequo animo ferre deberet. Quin imo, cum is pecuniam ex causa solutionis acceperit, ideoque dominium nummorum sibi adquirere voluerit, periculum quoque, quod cum dominio ordinarie coniunctum esse sciuerat, aut certe nosse debebat, tacite recepisse, dicendum est; Quapropter hic merito applicari posse videtur, quod VLP-

B 2 PIA-

^{z)} L. 8. C. de iudiciis.

^{b)} L. 6. C. de Legibus.

^{a)} vid. KRESSII diss. de iure summo iniuria summa. Helmstad. 1713.

^{c)} L. 14. C. de procurator.

PIANVS ^{d)} ait, nullam esse iniuriam, quae in volentem fit. Cui quidem argumento obstare posset, quod creditor noster in errore versetur, ac proinde secundum doctrinam eiusdem VLPIANI ^{e)} consentire non credatur: nisi CASSIVS apud POMPONIVM ^{f)} satis luculenter obseruasset, errorem atque ignorantiam tunc demum, cum culpa vacat, errantem iuuare. At enim vero, vt optime monent laudatissimi Iureconsulti, VLRICVS HVBERV^S ^{g)}, nec non BERGERVS ^{h)}, est vtique, quod imputari queat creditori, ab impubere solo pecuniam accipienti, siue debitorem suum pupillum esse sciat, siue istud ignoret. Quod si enim conditio debitoris ipsi nota fuit, supinam plane committit negligentiam, qui sibi ab eo sine tutoris auctoritate solui patitur. Sin autem nescierit istius aetatem, nihilominus nonnullius culpae reus manet, cum de conditione eius, quocum negotium agit, exploranda sollicitus esse debuisse, vt VLPIANVS ⁱ⁾ praecipit, qui quidem magis de debitore, quam creditore loqui videtur, sed generali nititur ratione, in primis autem, quod ad pupillos, obseruante CVIACIO ^{k)}, plenius intelligi debet. Quae res tanto minus habet dubii, quanto facilius creditor de pupillari debitoris aetate certior fieri, imo auem, quod a iunt, ex plumis internoscere nullo negotio potuisset. Quapropter illi merito damni reparatio denegabitur, qui propter suam culpam, secundum regulam POMPONII ^{l)}, damnum sentire non videtur.

§. VIII.

^{d)} L. I. §. 5. D. de iniuriis.

^{e)} L. 116. D. de regul. iur.

^{f)} L. 3. §. 1. D. de iuris et fact. ignor.

^{g)} in Praelect. Instit. L. II. tit. VIII. §. 4.

^{b)} in resolution. Leg. obstant. pag. 695.

ⁱ⁾ L. 19. D. de regul. iur.

^{k)} Obseruationum L. VII. cap. 36.

^{l)} L. 203. D. de regulis iur.

*) o (*

§. VIII.

13

194

Magis adhuc nostram confirmabit opinionem, si cogitatae interitus in rationes pupilli scribere solent, re ipsa iuvant. Nostram sententiam aliae iuris rationes


re velimus, quod illi omnes, qui fortuitum pecuniae nihil aliud agant, quam ut in pari damno creditori maiori contra pupillum subueniant. Hoc autem iuris nostri analogiam haut permettere, expeditum est. Noluerunt sane magistri artis nostraè, vt, quae minoribus atque pupillis aduersus laesiones praebentur, auxilia, maioribus facile profint, etiam tunc, cum id fieri, minoris quodammodo oblique interesse videtur. Id quod luculenter satis patet ex exemplo restitutionis in integrum, de qua **VLPIANVS** ^{m)} non ineleganter mouet dubitationem, num etiam filiis familiis minoribus in re peculiari sit subueniendum? addita ratione, quia hoc modo efficeretur, vt per eos maioribus quoque, hoc est, patribus illorum subueniretur, quod nequamquam praetori esset propositum; Hunc enim minoribus tantum auxillium promisso, non maioribus. Idem etiam obseruat **PAVLVS**, ⁿ⁾ qui filium familias, si res mandato patris administret, beneficium restitutionis habere, negat, cum eo modo maiori potius consuleretur, cuius damno res sit cessura. Igitur multo minus maiori, nouam nummorum, casu perditorum, solutionem vrgenti, cautio, sola aetatis miseratione introducta, contra pupillum, cum huius manifesto interramento prodeesse debet. Imo vero, cum **CATIVS** ^{o)} aequum esse doceat, vt naturalis interitus ad actorem pertineat, cum ea res interitura esset, quamuis restituta actori fuisset: vtique incivile foret, si pupillo nouam iniungeremus solutionem pecuniae,

B 3

^{m)} L. 3. § 4. D. minoribus.

ⁿ⁾ L. 23. D. eodem.

^{o)} L. 14. §. 1. D. depositi.



niae, a creditore amissae, quae tametsi recte, et cum tutoris auctoritate soluta, non minus peritura fuisset. Si denique, PAVLLO^{p)} iudice, dum queritur de damno, potentior est, qui tenet, quam qui persequitur, licet par vtriusque causa sit: intelligi non potest, quare in nostra specie magis ad pupillum, quam ad creditorem, qui tamen, dum nouam solutionem postulat, actor fit, sensus periculi pertinere debeat? cum pupilli etiam potiorem causam esse, dubitari nequeat, et VLPIANVS^{q)} diserte praecipiat, maximam semper ceteris aetatis rationem esse habendam. Ex quibus omnibus liquido satis constat, quod nostram, de periculo pecuniae a pupillo solutae, sententiam, et aequitas, et iuris ratio suggerat, quamuis iure expresso deficiamur.

§. IX.

Sensus l. 19. §.
1. D. de rebus
cred. inuesti-
gatur.

Attamen nondum in portu nauigamus, et varii adhuc scopuli latere videntur, quos ex parte IVLIANVS^{r)} posuisse creditur interpretibus. Audiamus ipsum Iure-consultum: „Si pupillus, inquit, sine tutoris auctoritate crediderit, aut soluendi causa dederit, consumpta pecunia condicionem habet, aut liberatur: non alia ratione, quam quod facto eius intelligitur ad eum, qui acceperit, peruenisse. Quapropter, si eandem pecuniam is, qui in creditum vel in solutum acceperat, alii porro in creditum, vel in solutum dederit, consumpta ea, et ipse pupillo obligatur, vel eum a se liberabit, et eum, cui dederit, obligatum habebit, vel se ab eo liberabit. Nam omnino, qui alienam pecuniam credendi causa dat, consumpta ea, habet obligatum eum, qui acceperit: item qui in solutum dederit, libe-

^{p)} L. 91. §. 3. in fin. D. de Verbor. Oblig.

^{q)} L. 11. §. 7. in fin. D. de minoribus.
^{r)} L. 19. §. 1. D. de rebus creditis.

rabitur ab eo , qui acceperit . „ In qua lege in primis verba : „
facto eius etc. ambiguitati causam dare visa sunt. Etenim
AZO ea de facto accipientis , seu de consumptione in-
telligenda esse existimauit , ideoque sine hoc facto do-
minium non intelligi translatum , nec periculum penes
creditem fore creditit. At e contrario eadem ver-
ba ad factum pupilli , hoc est , ad numerationem refert AC-
CVRSIVS , cui perinde esse videtur , ac si dixisset Iurecon-
sultus : pecuniam , si deinde consumpta est , facto numera-
tionis ad eum , qui acceperit , peruenisse intelligi. Quam
explicationem Bartolus , et alii , iam supra nominati inter-
pretes sequuntur. Sicuti autem inciuite mihi cum CEL-
SO) esse videtur , nisi tota lege perspecta , vna aliqua par-
ticula proposita , iudicare velle ; ita quoque haut credide-
rim , hanc eorum disputationem rem ipsam confidere posse.
Videlicet IULIANVS in principio legis obseruauerat , non
omnem numerationem statim ab initio obligare , illudque
eorum illustrauerat exemplo , qui mortis causa donant , vel
ut aliquid fiat , pecuniam dant. Qua occasione pupillus et-
iam , sine tutoris auctoritate credens , aut soluens , nec non
is , qui alienam pecuniam credendi soluendue animo nume-
rat , in mentem venit Iurisconsulto nostro. Ipsam statim
numerationem obligare aut liberare , etiam in hac specie
negat. At si consumpti fuerint nummi , tam pupillum ,
quam eum , qui alienam pecuniam dedit , aut sibi obligare
accipientem , atque conditionem nancisci , siquidem animo
credendi dederint , aut si dissoluendae alicuius obligatio-
nis intentionem habuerint , a creditore liberatos fore , sta-
tuit. De hoc igitur dubitari nequit , quod tunc , si num-
mi a pupillo soluti , accipientis voluntate absumpsi sunt ,
conualescat negotium , et dominium translatum esse cre-
datur.

s) L. 24. D. de legibus.

datur. Alias enim dici non posset, pupillum condictionem aut liberationem nactum esse; Siquidem dominus rem suam ordinariae haut condicit,^{x)} sed vindicat: neque solutione liberatus dicitur, qui nummos accipientis non effecit.^{y)} Imo **IVLIANVS** in lege nostra diserte fateatur, quod nummi consumpti intelligentur ad eum, qui accepit peruenisse. Peruenisse autem res ad aliquem secundum explicationem **VLPIANI**,^{z)} atque **PAVLLI**,^{y)} tunc dicitur, cum ita eius facta est, vt apud eum quoque sit remansura, neque repeti possit.

§. X.

In hac lege sub
appellatione
pecuniae con-
sumptae non
intelligitur ea,
quae casu per-
iit.

At non eodem modo est expeditum, an sub appellatio- ne consumptae pecuniae, etiam illam, quae sine accipientis facto periit, noster voluerit comprehensam? Affirmant hoc ex interpretibus veteribus in primis **BALDVUS** et **ALEXANDER IMOLENSIS**^{z)}; Quorum tamen opinionem meam non fecerim. Evidem vocem: *consumere*; scriptoribus veteris Latii, in generaliori significacione frequentem esse, atque haut raro fatalem quoque rei cuiusdam interitum indicare, etiam ii, qui in latino dicendi genere mediocriter sunt versati, non ignorant. Neque plane iuerim inficias, in ipsis legibus Romanis vocabulum istud eodem in sensu occurrere; quemadmodum **IVSTINIANVS**^{a)} aedes incendio consumptas vocat. Attamen iis quoque, qui Romanorum ICtorum fragmenta diligenter vertere manu adsueuerunt, non esse poterit incognitum, quod

^{x)} §. 14. et 15. I. de actionibus. c.v.
IACHI paratilla ad tit. Dig. de
rebus creditis.

^{y)} arg. L. 27. D. de solution.

^{z)} L. 2. §. 3. D. de hered. vel act.

vend. L. 71. L. 164. §. 2. D. de
Verb. signif.

^{y)} L. 61. D. de solution.

^{z)} ad L. 19. §. 1. D. si certum petat.

^{a)} §. 3. I. de usufructu.

* * * * *

17

196

quod his, vti verba atque formulas plerumque, cum ex arte loquebantur, magna solertia distinguere solebant; ita quoque vocem: consumere, iis rebus, quae possessoris voluntate absumuntur ^{b)}, accommodare, ea vero, quae casu esse desinunt, periisse ^{c)}, interiisse ^{d)}, extincta ^{e)}, perdita, siue deperdita ^{f)}, amissa ^{g)}, etc. dicere sollemniter fuerit. In qua specialiori vocabuli significatione etiam Iulianum nostrum pecuniam consumptam appellasse, non ex exemplo modo, quod de creditore, alii rursus soluente, vel credente, adiecit, verum etiam ex hoc constare puto, quod in fine legis maior quoque, ex alienis nummis soluens, iis consumptis, liberari dicitur; quem tamen, si pecunia sine facto accipientis periisset, haut fore liberatum, variis argumentis, si angusti nostrae dissertationis cancelli permitterent, probari posset ^{b)}.

§. XI.

Quodsi ergo de consumptis tantum, non perditis numeris Iuliano sermo est, parum obtinebimus, siue A-zonem, siue Accursium in explicandis verbis: *facto eius etc.* sequi malimus. In eo potius cardo rei vertitur, ut videamus, num Iureconsultus vnam liberationis speciem, quae per consumptionem contingit, ponendo, alteram, si casu perierint nummi, illico negare voluerit? Id quod non crediderim. Evidem, ne quid dissimulem, variis sunt colo-

C res,

b) L. 13. D. rebus creditis.

c) L. 31. D. quib. mod. ususfruct. amitt. L. 27. §. 21. D. ad L. A-mitt. L. 5. L. 11. D. reb. cred. L. 38. D. de iure dot.

d) L. 10. D. de periculo et com-modio rei vendit.

e) L. 10. D. quib. mod. ususfruct. amitt.

f) L. 11. §. 6. D. de minor. L. 21. D. de hered. petit. L. 16. D. de admin. et periculo tutor.

g) L. 14. §. 1. D. de Verbor. signif.

h) vid. L. 17. D. de solution. L. 94. princ. D. eodem.

res, quibus fucus adfirmantium opinioni illini posse vide-
tur. Argumento enim, a contrario petito, frequencissi-
me utuntur Iureconsulti, illudque aliquando a PAPINIA-
NOⁱ⁾ fortissimum appellatur. Quapropter illud in nostra
lege explicanda eo rectius locum habere putabis, quo ma-
gis Julianus in simili specie, qua furiosus alicui pecuniam
quasi mutuam dederat, referente POMPONIO^{k)}, ad con-
ditionem furioso acquirendam illud potissimum videtur
desiderasse, vt pecunia fuerit versa in rem accipientis. Imo,
quod non minus meam vellicare credes opinionem, non
Julianus modo, verum etiam alii Iureconsulti, vt VLPIA-
NVS^{l)}, atque CAIVS^{m)}, nulla omnino pecuniae intereun-
tis facta mentione, vno veluti ore, pupillum, absque tu-
tore soluentem, *consumptis nummis*, liberatum dicunt. Ex
hoc enim colliges, iuris nostri architectos per illam, quam
in nummis consumptis statuerunt, exceptionem, in reli-
quis confirmatas voluisse regulas, secundum quas pupillus
folus soluendo nihil agit, et res quaelibet damno domini
sui perire creditur. Praeterea iuris Romani arbitratores
in damnis quidem fortuitis minoribus atque pupillis singu-
lariter fauere noluisse videntur, cum VLPIANVSⁿ⁾ clare
praecipiat, non restituendum esse, qui rem suam sobrie
administrans, occasione damni, non inconsulte accidentis,
sed fato, velit restitu : Nec enim euentum damni restitu-
tionem indulgere, sed inconsultam facilitatem. Quam et-
am sententiam POMPONII, MARCELLI, atque IVLIA-
NI fuisse, idem Vlpianus testatur. Denique Julianus in
nostra lege pupillum cum eo, qui alienos nummos soluit,
quod

ⁱ⁾ L. 1. pr. D. de officio eius cui
mandat, esti jurisdict.

^{k)} L. 12. D. de rebus creditis.

^{l)} L. 14. §. 8. D. de solution.

^{m)} L. 9. §. 2. D. de auctorit. tutor.

ⁿ⁾ L. 11. §. 1. D. de minoribus.

quod ad liberationem in eandem classem collocasse videatur: Vnde illum non magis, quam hunc, per interitum pecuniae liberatum fore credes. Verum haec omnia, quantamcunque probabilitatis speciem prae se ferant, tanti tamen non sunt ponderis, vt pupillo sensum periculi, semel soluta pecunia, impositum voluisse Iureconsultos, existimem.

§. XII.

Omnia late patent in iurisprudentia nostra, quae a contrario ducuntur, argumenta. Sed illa magnas etiam cautions habent, quas ex praexceptis potissimum Logisticorum adhibere necesse est, quo minus a veritate seducamur per paralogismos. In primis obseruandum est, istiusmodi argumentorum hanc esse indolem, vt ex aliqua propositione de ideis diuersis aut oppositis ita iudicemus, vt isti rei, cum qua subiecti notio non conspirat, praedicatum etiam conuenire negemus; quemadmodum in nostra specie ita a contrario rationes subducunt aduersarii: Consumptio pecuniae solutae pupillum liberat; Iam vero interitus illius non est consumptio; Ergo pupillus quoque per interitum pecuniae haut liberatur. Hoc autem disputandi genus ad eas tantum pertinere propositiones, quarum praedicatum differentiam subiecti ab aliis rebus continet, praecipue monent, qui Logices pracepta tradunt. Sic v. c. ex eo, quod is, qui statu ciuili gaudet, persona sit, tuto colligere poterimus, seruum non esse personam. At e contrario falleremur, si ex regula illa VLPIANI, p) quae eum, qui auctore iudice comparauit, bona fidei posse forem

C 2

forem

e) vid. Ceberrimus MÜLLERVS in Log. Germ. c. XV. §. 14. in not.

p) L. 137. D. de Reg. Iur.

sorem facit, negatiue concludere vellemus. Quam in argumentis a contrario cautionem non ignorarunt Iureconsulti Romani. Sic **PAPINIANVS** ^{q)} ideo actus extraordinariae iurisdictionis a iudice praesente mandari posse recte negauit, quia lex tunc saltem, si proficiscatur, manda-re permittit. Eodem modo **PAVILVS** ^{r)} bene conclu-dit; praetorem, si vnum tantum ex pluribus iudicare vetet, reliquis illud permissoe videri. Ex his vero apparet, in nostra specie argumentum a contrario haut esse tutum. Non enim per solam consumptionem pupillus a creditore suo liberatur, sed etiam aliis modis, veluti acceptilatione, pupilli obligatio sine tutoris auctoritate, **VLPIANO** teste, ^{s)} potest dissolui. Quemadmodum autem nemo dixerit, quod Julianus, mentionem pecuniae consumptae faciendo negare voluerit, liberationem pupillo per acceptila-tionem contingere posse: ita nihil quoque magis adesse videtur caussae, cur eundem, extincta pecunia, liberatio-nem pupillo ab iudicasse, credere velimus.

§. XIII.

Argumentum
a silentio **ICTORUM**
petitum
fallacissimum
est.

Neque vero maiori dissentientibus praesidio est alterum Iuliani, quod **POMPONIVS** memorauit, ^{t)} de furioso, responsum. Primo multum interest discriminis, inter furiosum, qui plane velle nequit, sed ut idem **IVLIANVS** alio in loco obseruat, ^{u)} per omnia, et in omnibus, absen-tis vel quiescentis loco habetur; et inter pupillum, qui, quid agatur, intelligit, sed ob lubricum aetatis, iis tantum in cauissimis, quibus conditio sua deterior fieri posset, auctori-tate

^{q)} L. 1. pr. D. de officio eius, cui mand. est iurisd.

^{r)} L. 12. pr. D. de iudicis.

^{s)} L. 2. D. de acceptilatione.

^{t)} L. 12. D. de rebus creditis.

^{u)} L. 2. §. 3. D. de iure codicillorum.

tate tutoris opus habet. Deinde re ipsa nihil noui, quod grauius ferire posset sententiam nostram, proposuit Iureconsultus. Etenim locutio: *in rem vertere*, quae in hac lege occurrit, nihil est aliud, quam consumere, sicut **V L PIANVS**^{x)} omne illud, quod in alicuius negotium, sive bene, sive male, impensum est, in rem versum dicit. Igitur de eo, si pecunia fortuito perierit, rursus filet; Id quod ab **VLPIANO** quoque, et **CAIO**, factum esse, supra dixi. Sed quis nescit, fragile, imo elumbre, esse argumentum a solo silentio auctoris desumptum, de quo genere verissimum est, quod **PAVLVS** ait: ^{y)} Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. Nec adeo mirabimur, Iureconsultos de consumptis solum, non de perditis quoque nummis suam exposuisse sententiam, si cogitemus, illos de eo, quod saepius fieri solebat, et de quo frequentius consulebantur, magis sollicitos fuisse.

§. XIV.

At grauius nobis obsistere videtur juris ratio, qua puerum Dominium, quod translatum non est, neque dominium transferre posse, existimatur. Exinde tamen fictione enim, si iuris apices intueamur, pecuniam illi, tanquam iuris pro translato interdum domino, peritaram credemus. Verum ea propter pupillarum nostri causam nondum perditam esse puto. Hoc certe probari nequit, pupillum inconsulto tute soluentem, nullo modo quicquam agere; sed Iureconsulti saltem illum soluendo dominium nummorum transferre negant. Id quod luculenter confitetur **CAIVS.**^{z)} Num autem necessario inde consequitur, ut periculum transfire nequeat in accipientem, qui, si **VLPIANI**, de depositario, cui pecuniae

C 3

^{x)} L. 3. §. 6. D. de in rem verso.

^{y)} L. 142. D. de reg. iur.

^{z)} L. 9. §. 2. D. de auctor. tutor.

niae depositae usus permittitur, locuti, verba ^{a)} applicare licet, animo possidere coepit? Possunt haec duo simul stare, vt proprie quidem non transferatur dominium, et illud tamen certo modo translatum fuisse intelligatur, i. e. finitur. Vnde quoque **ALCIATVS** ^{b)} rem ita explicat, vt in specie nostra, tametsi pupillus ipso iure dominus nummorum solutorum permanerit, tamen, si extinguantur, proprietas ad creditorem peruenisse intelligatur, ideoque eius, quasi domini nummorum esse debeat periculum.

S. XV.

Dominio ob
singularem ^{a)}

Facilior adhuc est explicatio **LVDOVICI ROMANI**, quam
IASON MAYNVS, et ex recentioribus **MYNSINGE-**
RE **RVS**; **LAVTERBACHIVS**, **BERGERVS** ^{c)} sequuntur. Vi-
delicet illi regulam, qua res domino perire dicitur, tunc
officium suum perdere obseruant, quando dominium iure
tantum singulare et alicuius fauore remansit. Evidem
displacet haec interpretatio Alciato, cui non est ad pala-
tum, quod pupillus iure saltem singulari dominus manere
dicitur, quem potius iure communi et generali dominum
permansisse contendit, licet hoc largiatur, quod prius pu-
pilli dominium hoc in casu speciali eius fauore non abdice-
tur. Sed verba captare Alciatum, quis non animaduertit?
Dominium enim pecuniae a solo pupillo numeratae, iure
singulari penes pupillum manere dicunt, non, ac si sepa-
rata quaedam dominii species sit, sed quia ob fauorem,
utilitatemque pupilli remanet, cum alias, rem suam cre-
ditori soluens, eam illico accipientis faciat; quemadmodum
PAVLLVS ^{d)} ius singulare illud vocat, quod contra teno-
rem

^{a)} L. 9. §. 9. D. de rebus creditis.

^{c)} in loc. supra §. IV. circa fin. addu-
ctis.

^{b)} ad L. 19. §. 1. D. de rebus cred.

^{d)} L. 16. D. de Legibus.

rem rationis, propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est. Ideo autem faciliorem dico Ludoqici Romani explicationem, quia altera Alciati interpretatione fictionem translati dominii ponit, cum vere dominium a pupillo transferri posse, negent Iureconsulti. Sed fictione aliqua, sine manifesta legum auctoritate, rem componere velle, satis conuenire haut videtur. E contrario vero nihil periclitabimur, siquidem dominium omnino pupilli manere, attamen periculum rei in creditorem transferre dicamus. Quamuis enim ordinarii sit iuris, ut exceptio non praesumatur, sed casus fortuitus ab eo potius, qui dominii commodo gaudet, secundum PAVLLI effatum, ^{e)} sit ferendus: Hic tamen vsu venit, quod aliquando PRISCVS IAVOLENVS obseruat, ^{f)} omnem definitiōnem (i. e. regulam iuris, vt ex Basilicis rem explicat HEINNECVS ^{g)}) in iure periculosam, et parum esse, quod non subverti possit. Neque enim per expressa tantum legis verba, sed etiam per aequitatem, speciali iuris ratione suffultam, regulis generalioribus limites ponи credendum est. Ipsa aequitas, si definitionem GROTTII agnoscamus, est virtus correctrix eius, in quo lex propter vniuersalitatem deficit. ^{b)} In primis autem in his, quae contra rationem iuris (i. e. iure singulari) constituta sunt, iuris regulam sequi nos posse, absisse negat IVLIANVS. ⁱ⁾ Igitur dubitari nequit, hic a regula iuris, merito fieri discessiōnem, atque periculum eius, quod a pupillo solutum est, ad creditorem, licet is proprius dominus non sit, referri debere;

^{e)} L. 10. D. de reg. iur.

^{f)} L. 202. D. cod.

^{g)} in dissert. de religione iudican-
tium circa reorum confessiones.
§. 2. Francofurt. 1730.

^{b)} vid. KRESSII diss. de aequita-
te C. I. §. 16. hab. Helmstad.
an. 1731.

ⁱ⁾ L. 15. D. de Legibus.

bere; cum in superioribus paragraphis iam demonstratum, et sat multis Legum argumentis sit euictum, aequitatem iuris manifestam pro nobis facere, et solo fauore tenerae aetatis, contra iuris communis tenorem, interdictam esse rerum pupillarium alienationem. Ut rem in summam contraham, pupillus in nostro casu ipso quidem iure, (stricto scilicet) liberatus non videtur. Attamen, si nummis perditis creditor petere perget, hic repellitur ope exceptionis.

§. XVI.

Aliquando minores et pupilli etiam contra damna fortuita adiuvantur.

Neque etiam nostram confutat hypothesin, quod iura Quiritium in damnis fortuitis minoribus succurrere non soleant. Quodsi enim **VLPIANI** verba ^{k)} attente perpendicularius, liquido patescit, iureconsultum ista tantum damnata putare, quae cuius, quamvis diligentissimo patrifamilias contigissent. E contrario vero tunc, si villa inconsulta facilitas minoris appareat, huic in subsecutis fortuitis quoque intertrimentiis succurrentum esse, noster eleganti illustrat exemplo aditae hereditatis, in qua res multae mortales sunt, aes autem alienum graue, quod non prospexit minor. Vnde recte **BRVNNEMANN** ^{l)} hanc regulam construit: restituи debere minores contra factum, quod omisissent, si prudenter rem exputassent; tametsi casus mere fatalis sit secutus. Iam consideremus propositam speciem. Quis quaeſo dubitabit, inconsultam pupilli facilitatem esse, si fine tutoris auctoritate soluat? cum potius si prudens fuisset, tutoris auctoritatem negotio accommodari curauisset, quo illico per numerationem liberatus, et ab omni metu controversiae inqui creditoris factus fuisset immu-

^{k)} L. II. §. 4. D. de minoribus.

^{l)} in Comment. Pandect. ad all. L.

II. D. de minoribus.

immunis. Ex his autem consequens est, vt, cum iurium conditores, ob damnum inconsultam minoris aut pupilli facilitatem fecutum, adeo negotia perfecta rescindere non vereantur, tametsi ceteroquin dissolutioni eorum, quae rite gesta sunt, parum faueant ^{m)}: multo magis rata sint habituri ea, quae alias pupilli fauore nulla declararunt, si quidem, ista conseruari, manifeste ex re pupilli esse videatur. Id quod etiam claris verbis iubet Imperator, quem iam supra excitaui, **GORDIANVS.** ⁿ⁾

S. XVII.

De reliquo, nobis haut obstat, quod **IVLIANVS** ^{o)} pū-
pillum cum eo, qui alienos nummos soluit, coniun-
xit. In ea enim, quam **ICtus** ibi tractat, specie, iste cum
hoc recte omnino comparatur. Neiter enim per num-
erationem pecuniam facit accipientis; et uterque consum-
ptis a creditore nummis liberatur. An vero exinde et potest.
iam consequitur, vt pupillus, quod ad fatalem nummorum
interitum, de quo Julianum in ista lege non locutum esse,
supra ostendi, cum illo, qui alienam numerauit pecuniam,
eodem iure censi debeat? Qua quidem in re maximum
discrimen ratio iuris suggesterit. Iste enim, puta pupillus,
nummos accipientis facere nequit, ne sibi noceat. Igitur,
quod in eius fauorem est constitutum, eidem causam da-
mni attrahere non debet. Qui vero nummos alienos sol-
uit, naturaliter dominium transferre non potest; quia, quod
ipsius non est, sine domini voluntate alterius efficere non
valet. Quam ob rem, cum huic iura non singulariter fa-
ueant, merito perditis nummis denuo soluit. Neque et-

D

iam

^{m)} vid. L. 4 et 7. pr. D. de integr.
restitution. L. 3. 4. 6. 7. C. de
rescind. vendit.

ⁿ⁾ L. 14. C. de procurator.
^{o)} in supr. all. L. 19. D. de reb.
credit.

iam, quod in primis obseruari meretur, tantum obiici potest creditori, cui aliena pecunia soluta est, quantum quem ille sibi imputare debet, qui a solo pupillo nummos accepit. Vtrum enim nummi sint alieni, an proprii solventis, non aequae facile intellectu fuit creditori, ac debitoris sui conditionem, aetatemque nosse potuisset.

§. XVIII.

Quae hactenus de pupillo disputata sunt, possunt applicari ad minores, Iure Romano, si minori curator est datus.

Superatis scopolis, iam vela contrahamus. Illud tamen coronidis loco addo, quod ea, quae hactenus principaliter de pupillo disputata sunt, etiam ad eum, qui, pueritate maior, perfectam aetatem nondum attigit, pertineant. Evidem iure Quiritium multum intererat, utrum curator adolescenti datus esset, an non? Etenim solutione a minore, curatorem non habente, non minus ad liberationem efficax videbatur, quam si homo iam perfectae aetatis debitum creditori suo reddidisset. Quae res ante ANTONINI tempora dubio vacabat, cum in LL. XII. tabb. nihil de minorum cura esset cautum, ideoque his solis administratio rei familiaris permitteretur, nisi ipsimet, aetatis fragilitati diffidentes, curatorem sibi peterent, quem redditis causis, ex L. LAETORIA ^{p)} accipiebant. Sed quamvis successu temporis M. ANTONINVS, teste IVLIO CAPITOLINO, ^{q)} omnes adultos, non redditis causis, curatores accipere iuberet: illis tamen curatores non obtrudi, sed desiderantibus dari voluit. Id quod PAPINIANVS, qui sub Seuero Caracalla et Geta floruit, ^{r)} confirmat; ^{s)} et VLPIANVS quoque, Papiniani discipu-

p) de qua vid. HEINECCIVS Antiqui, Rom. L. I. tit. 23. §. 6.

q) in vita M. Antonini. c. X.

r) PANCIROLLVS de clar. leg. interpret. L. I. c. 55.

s) L. I. 3. §. 2. D. de tutor. vel curator. dat.

scipulus, haut obscure docet, qui, ne inuitu minori cura-
tor constitutus videretur, illum ab alio, sine minoris vo-
luntate constitui posse, negat.¹⁾ Imo IVSTINIANVS ad-
huc, minores inuitos haut accipere curatores, conceptis
profitetur verbis.²⁾ Quae satis sunt indicio, ne post An-
tonini quidem tempora minori, ad administrationem facul-
tatum suarum, curatoris consensu abscessè opus fuisse. Licet
enim VLPIANVS aliquando generatim prohibuisse videatur,
adolescentibus ante vicesimum quintum aetatis annum,
quamuis bene rem suam gerentibus, administrationem com-
mittere:³⁾ optime tamen obseruat VNNIVS⁴⁾ haec Vlpiani
verba de his tantum, quibus potentibus iam curator erat
constitutus, esse capienda. Ne quid nos teneat, audiamus
DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM, IMPERATORES,
qui in suo ad Attianum rescripto,⁵⁾ rem quam luculen-
tissime hisce verbis exponunt: Si curatorem habens minor
quinq[ue] et viginti annis post pupillarem aetatem res ven-
didisti, hunc contractum seruari non oportet: cum non
absimilis ei habeatur minor, curatorem habens, cui a Prae-
tore, curatore dato, bonis interdictum est. Si vero sine
curatore constitutus contractum fecisti: implorare in inte-
grum restitutionem, si needum tempora praeferita exces-
serint, causa cognita non prohiberis.⁶⁾

§. XIX.

Igitur ex his Romani iuris principiis apparet, ea, quae Iure autem
antea de pupillo, adhuc post solutionem nummorum
domino manente, egimus, tunc saltem ad minorem appli-
cari

¹⁾ L. 3. §. 5. D. qui pet. tut. vel curat.

²⁾ §. 2. l. de curat. add. WILDVO-

GEL diff. de Triboniano circa

L. Laetorianum non errante. Ienae


1720.

³⁾ L. 1. §. 3. D. de minor.

⁴⁾ ad §. 2. l. de curat.

⁵⁾ L. 3. C. de in integr. restitut.

⁶⁾ add. L. 6. C. qui petant. tutores.



cari posse, si is, curatorem habens, absque eius consensu,
 soluerit. At nostro iure patrio ista controuersia generatim
 ad minores attinebit, cum hodie nullus eorum, nisi forte
 aetatis veniam a principe impetraverit, sine curatore aliena-
 re, et sic nummos facere accipientis queat. Quamuis
 enim aliqui veteris Germaniae populi nonnunquam solis
 etiam minoribus rerum administrationem permisisse vide-
 antur; quemadmodum **BVRGVNDIONES** adolescentibus,
 intra annum decimum quintum non constitutis, alienatio-
 nes rerum concedebant: ^{b)} hodierno tamen iure, post-
 quam in binis Legibus Imperii publicis ^{c)} magistratus o-
 mnibus minoribus, adeoque inuitis etiam, si testamentarii
 aut legitimi non adsint, curatores dare iussi sunt, id quod
 etiam in Saxonia nostra clare praeceptum est, ^{d)} plane du-
 bitari nequit, minores solos nullius rei dominium transfe-
 re, ideoque nec valide soluere posse. ^{e)} Cum autem hoc
 eodem, quo de pupillis dictum est, modo, solo minorum
 fauore, ne sibi inconsulta aliqua facilitate nocerent, obti-
 neat: eosdem quoque pari ratione, nummis apud accipi-
 entem pereuntibus, a sensu periculi, et noua pecuniae
 solutione absolue necesse habeo.

b) *Leg. Burgundion.* tit. **LXXXVII.**
 §. I. vid. **GEORGISCH Corpus**
 iur. Germ. antiqu. p. 394. add.
HEINECCI Elem. iur. Germ.
 Tom. I. p. 311.
 c) *Reformat polit. Imperii* de an.

1548. tit. 31. §. I. et de an. 1577.
tit. 32.

d) *Decif. Elect. Saxon.* **XLI.**

e) **STRYK.** u. **Pand. mod. L. XLVI.**
t. 3. §. I. et **LAVTERBACH.** diff.
de solutionibus thes. V.

T A N T V M.



Nrittenburg, Disc, 1748/49

ULB Halle
003 345 947

3




TH>a



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-272203-p0032-8

DFG



188
7
1748
56
4

Q. D. B. V.
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
PECVNIA
A PVPIULLO SINE TVTORIS
AVCTORITATE SOLVTA
DAMNO CREDITORIS
PEREVNTE

QVAM
PRAESIDE
GEORGIO FRIDERICO
KRAVSIO
IVR. VTR. DOCT.
IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
AVDITORIO IVRIDICO
D. XXII. MARTII A. R. G. CIC 10 CC XLVIII.
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT
GOTTHELF FRIDERICVS KRAVS
FREIBERG.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

